

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

I. De civitate infernali et fundamento et constructoribus.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

## LIBER SEXTUS

---

### I. DE CIVITATE INFERNALI ET FUNDAMENTO ET CONSTRUCTORIBUS.

VIDI civitatem *horribilem et infelicem* cujus nomen est III. 21.  
Odium æternum; quæ in abyſſo profundissima con-  
structa est ex lapidibus variis criminalium peccatorum.  
Lapis ejus primarius superbiâ est, quam fundatore ejus primus  
ibi Lucifer collocavit. Inobedientiam, avaritiam, gulam,  
luxuriam, [quæ fuerunt gravissimi lapides], superposuit  
primus homo Adam. Iram, fallaciam, homicidium adjecit  
Cain. Mendacium, *detractionem*, desperationem, traditio-  
nem, propriæque manus crudelem injectionem superædificans,  
Judas proditor structuram exaltavit. Crimen *detestandum*  
Sodomæ *humani generis destructivum* fraudulentaque  
hypocrisis imaginem præferens sanctitatis, hujus horren-  
di ædificii sunt lapides angulares. Ab initio temporum fundata  
est hæc *maledicta* civitas. Væ omnibus construentibus eam!  
Nam quanto magis ad ejus ædificationem hinc transmiserint,  
tanto, si secuti fuerint, illic infelicius punientur.

### DE LOCIS INFERNI ET INHABITORIBUS EJUS.

Hujus civitatis tanta ac talis est perversitas ut superiores  
sedes obtineant inferiores, et ignobiliores habeant  
mansiones. Lucifer in profundissimo inferni loco residet.

suo scelere alligatus ; de cujus cordis spurcitia et horrendissimi oris cavea indesinenter peccata effluunt omnia, pœnæ, dolores, scandala, per quæ infernus, purgatorium [et hæc terra] miserabiliter cruciantur. In inferiori inferni loco est ignis, tenebræ, fœtor et horror, omniumque pœnarum genera, ibique Christianorum animæ juxta sua merita dispositæ puniuntur. In media vero parte omnis est pœna mitior, in qua Judæi secundum sua opera puniuntur. In suprema vero parte pœna tolerabilior est, ubi Gentiles malorum suorum recipiunt talionem. Hi *in suis cruciatibus* sic exclamant : Væ nobis ! quia si legem naturæ servassemus, pœnam hanc horrendam non sustineremus [æternam]. Et exclamant Judæi dicentes : Væ ! væ ! Si Dei voluntati secundum doctrinam Moysi paruissemus, damnationem hanc perpetuam non incurrissemus. Super omnes Christiani vociferantes ululant, quod collatam a Christi charitate sibi gloriam per voluntariam suæ perversitatis amiserunt miseriam. Horridissimum Luciferi vultum sine intermissione cum dolore maximo speculantur, et coram eo nudi in suis turpitudinibus versantur. O quam pudibunde suscepti et horribiliter salutati et amarissime allocuti audiunt dicentem : Vos maledicti mecum, quale hic gaudium nunquam narrari audivistis ; et unde vobis complacuit *quod ad me venire voluistis ?*

## II. DE CRUCIATIBUS SINGULORUM VITIORUM.

**T**UNC *crudelibus manibus* superbos principaliter rapiens, sub suaque cauda deprimens dicit : Non adeo in profundo *damnationis* sum mersus, quinimo adhuc vestra volo elationis stultitiæ superferri. Sodomitæ per collum ejus ingressi in ventris ejus tenebris retinentur ; inde cum expirat, exeunt, et cum respirat denuo revertuntur. Hypocritas in suo sinu collocat et horrendo ore deosculans sic alloquitur : Vos consortes mei estis, nam et ego vanæ speciei colore seductus fui, per quem vos et omnes me sequentes sunt seducti. Usurarium semper rodit, improperans quod miseri-